

**MISCELLANEA
TIGURINA,**

**EDITA, INEDITA, VETERA,
NOVA, THEOLOGICA,
HISTORICA, &c. &c.**

**OMNIA PARTIM RARIORA, PARTIM
LECTU AD PROPECTUM IN ERU-
DITONE ET PIETATE
UTILIA.**

III. Theil. III. Außgabe.



Zürich.

**Betruckt in der Gefnerischen Truckerey.
AN. M D C C XXIV.**

*Ampla domus fueram quondam, nunc amplius amplam
Collini soboles me numerosa negat.
Quid mirum? Veniet tempus, vix amplius ampla
Cum Regio capiet, sum quibus ampla parum.*

E.

D. D. Conradus Gessnerus Fabritio, cum
Tiguri esset A. 1565. Mense Junio.

*Ovis & cerasis libetne mecum
Parco prandiolo, Fabrice amice,
Esurire parumper? Hora nona
Nostras te moneat venire in ades.*

F.

(^a) *Descriptio Fontium Engadinæ
inferioris prope Scultinum.*

*Gens vetus Hetrusca ducens ab origine stirpem,
Rhetica jam coluit secula longa juga;
Inter & hanc celebris viget accola fluminis Æni, (^b)
Nunc quoque vicino nomen ab amne ferens;
Huc nos Alpinas peragrantes ordine gentes
Fama celebrande carmine traxit aque.
Nam prope Scultinum, villarum culmina supra
Qua facili surgunt arva supina jugo:
Exiliunt acres latices e pumice vivo,
Indigenis vice qui Nectaris esse solent.
Nam seu mane novo referat sol lumine terras,
Vespere sive alto conditur oceano,
Certatim ruit ad fontes operosa iuventus,*

Quis-

(^a) Confer de his fontibus Plinii Helvetici, Ex-
cell. & amiciff. D. D. Scheuchz. Helvet. Hist. Natur.
T. II. p. 303. fs.

(^b) Engadinenses sic vernacula lingua dicti, quod
caput, id est, fontes Æni accolant.

Quisque suam portans munera dia domum :
 Sic effusus apum campis exercitus omnis
 Urget opus , fœtos cum populatur agros.
 Vulgus aquam fortem communi nomine dicit ;
 Sive quod hæc forti vina sopore refert ;
 Sive quod admotis prope naribus , obvia pungit
 Organa , non secus ac si nova musta forent.
 Parte sed adversa mediis in vallibus Æni
 Fons alius vena nobiliore scatet.
 Hic ubi secretis nœmorale recessibus antrum
 Nescio quid tacite religionis habet.
 Vulgus Halicrenæ dedit a falsugine nomen :
 Nempe solet nitro gustus inesse salis.
 Quot tamen & quibus hæc scatebræ sint dotibus auctæ ,
 Dicere fœcundi pectoris esset opus.
 Pallida quem febris , quem tussis anabela fatigat ,
 Hinc bibat , exiguo tempore sanus erit.
 Intumuere quibus ventosis guttura strumis :
 His feret hæc medicam vena salubris opem.
 Hæc , & plura , senex ævo comperta vetusto
 Commemorat : nostræ dux erat ille viæ.
 Sic natura vices rerum , sic temperat usum :
 Præbet inæquali sic sua dona manu.
 Non illic dulces de montibus educat uvas ,
 Arboreis etiam fœtibus arva carent.
 Scilicet aëreæ certantes nubibus alpes ,
 Urunt assiduo rura propinqua gelus ;
 Prata sed , & saltus , & tesqua virentia musco ,
 Et nivei semper copia lactis adest.
 Adsunt & medicæ venis manantibus undæ ,
 Fœlices , quibus hæc irrigat ora sinus.
 O mihi nunc veteres essent in carmine vires !

D D

Fama

Fama salutiferas quanta maneret aquas?
 Hæc Aganippæa foret unda celebrior unda,
 Esset & in toto notius orbe nihil.
 Quod tamen averso modo numine plectra retractem,
 Presso diu longo quæ jacuere situ,
 Hæc, Gessnere, tibi, Medicorum maxime Doctor,
 Linquo: tuis quod sint viribus apta magis.
 Natura tibi nosse vias, causasque latentes,
 Ingeniumque sagax docta Minerva dedit:
 Me mea paupertas angusto limite claudit,
 Cum tua per cœli gloria tendat iter.

Joh. Fabr. M. in gratiam Clariss.
 Viri D. D. C. Gessneri Anno Do-
 mini 1561. Mense Julio faciebat.

G.

R. Collinus Pater Johanni Fabritio Gene-
 ro 1557. 9. Aprilis.

Gratia magna Deo: qui te, charosque nepotes,
 Coniuge cum gravida, cum famulaque bona,
 Incolumes Vallestadii traduxit ad oras,
 Per vada Limiaci & flumina lenta lacus.

Gratia magna Deo: si te charosque nepotes,
 Coniuge cum gravida, cum famulaque bona
 Incolumes istas fato traducet ad oras,
 Curia Rhatæis qua jacet alta jugis.

Hoc precor: hæc felix & fortunata sit, oro,
 Quæ te Rhatæis applicat hora jugis.

H.

Fabr. R. C. P. 1557. 16. Aprilis.

An valet, & firma est Agathe, ceu fertilis arbor?
 An valet, & candet, ceu rosa, uterque nepos?
 O bene si valeant! o si propagine leta
 Hos alat in multos hospita terra dies!